



TRIUMPHUS CHRISTI ENUCLEATUS.

Argumentum & divisio operis.



Sicuti Christus, omnium nostrum Doctor & Magister, ex singulari φιλανθρωπία, res cælestes per terrenas adumbravit, quò melius illæ caperentur, ut in primis exemplo regenerationis constat, quam, ducta similitudine à vento, declarat Joh. 3:8. ita quoque fidelis ipsius servus atque discipulus, Apostolus Paulus, totus fuit in hoc, ut magnifica Dei facta Act. 2:11. crucifixionis Domini ejusq; resurrectionis & in cælos ascensionis conditionem atque valorem auditoribus suis depingeret, & illustraret spectabili similitudine, desumpta à more, toti orbi notissimo & admirabili, triumphantium Imperatorum Romanorum Col. 2:15.

II. Licet jam nemo, cui sanum adhuc est cerebrum, indubium vocet verba Apostoli, aut ipsius modum docendi carpat, de ipsa tamen re distracta sunt hominum judicia, quæ ex amore veritatis & ad majorem ejus investigationem examinare institui, sic ut 1. minus rectè statuentium opiniones sim everfurus, 2. melius sentientium judicia, & quomodo iis subscribam, proditurus,

Præcognita.

Quandoquidem verò ipsa res non proprio, sed metaphorico vocabulo, triumpho scilicet, exprimat & declaretur, utile esse duxi, ante examen diversarum opinionum & expositionem propriæ sententiæ, prælibare quædam de consuetudine triumphandi, usitata apud Romanos.

II. Fuit autem triumphus alius major, alius minor. Posteriores
A
Romani